

Responsio Ariminensis ad secundum Aureoli inuoluit illam difficultatem agitari solitam inter prædeterminantes, & assertores scientiæ mediæ, an voluntas determinet Deum, an Deus voluntatem? sed hoc futūsi prosequi esset alienum à præsentī instituto; quare non facimus vim in dicta ratione; Sequanus enim Theologus eam assumit pro præcipuo suo fundamento, quare eam tueatur, si velit ab impugnationibus P. Raynaudi, quod iā ipsum præstitisse existimo.

Responsio ad tertium habet aliquid Effugij glossando allatas auctoritates, attamen eas accipiendo, vt sonant, responsio non satisfacit.

Responsio ad quartum rectè infert, quod à potentia ad actum non valeat illatio Physicè loquendo, attamen in subiecta materia maximè valet; nam Deus semper facit, quod est conuenientius, quandoquidem est agens sapientissimū, ergo cum potuerit id facere, sitq; decens, vt id fecerit, prudētē dicendū est id de facto fecisse, quare remanet in suo robore dicta quarta ratio.

Responsio ad quintum in reipla coincidit cum illa communi, quā dicitur duas causas totales eiuſdem rationis, nec subordinatas non concurrere ad eundem effectum, benè tamen duas causas totales diuersi ordinis, aut subordinatas. Item licet concurrant totæ, non tamen totaliter. Sed non video fundamentum vllum huius Responsionis communis, nam si duæ totales diuersi ordinis concurrant ad eundem numero effectū, quælibet causa debet influere aliquid sui ordinis, ergo causa secunda aliquid influet sibi correspondens, causa verò prima influet quoque aliquid sibi correspondens, sed assignetur in effectu aliquid correspondens causæ primæ, nihil certè, quia totus effectus est proportionatus causæ secundæ, non verò causæ primæ, dicere verò quod subordinentur inter se duæ illæ causæ, hoc non videtur certum, quia non est subordinatio, nisi eorum, quæ sunt in eodem genere, sed agentia secunda sunt in genere diuerso ab agente primo; creatum enim, & increatum sunt in diuerso genere quoad esse, & quoad operari. Illa verò vltima solutio de concurrere totum, & de concurrere totaliter, videtur esse solutio quoad terminos, non verò quoad rem ipsam, nam quid est producere totum effectum, nisi ipsum totaliter producere? qui enim dicit totum, nihil excludit; sed per se causa prima producit totum effectum (non enim concedes, quod producat tantum partem) ergo nihil est ipſius effectus, quod non producatur ab ipsa causa prima, quando autem est aliquod totum, in quo nihil est, quod non producatur ab aliqua causa, verè dicitur illud totum produci totaliter ab illa causa, potest quoque applicari istud argumentum ad ipsum concursum causæ secundæ.

Quod si dicas: Scissio ligni est tota à ferra, & à scindente, non tamen totaliter, ergo similiter in præsentī. Resp. esse disparitatem, quia ferra non habet proportionem sufficientem de se ad scindendū lignum: Item neque homo sine ferra, at v. g. calor vt septem habet sufficientem proportionem, & virtutem ad calefaciendū vt sex, vnde certè superfluous esset vnus ex illis concursibus.

Respondet Argentina, quod cum repugnet causæ primæ deficere, idcirco non debeat ipū at-

tribui defectus: sed petit principū hæc responsio; nam argumentum probat, quod deficeret causa prima, & per consequens, cum repugnet ipsam deficere, repugnabit quoque concurrere cum causa deficiente: vnde est huiusmodi ratio: si concurreret cum causa secunda, censeretur deficere, sed nō potest deficere, ergo nō concurrat.

Nec responsio ad argumentum Aureoli valet, nam semper sequeretur Deum esse causam per se actūs mali, & deformitatis; nam quod concurrat ad actum per se malum v. g. ad actum odij Dei, per se concurrat ad malum: sed Deus per se concurreret ad actum malum intrinsecè, ergo ad malitiam concurreret, quod enim concurrat ad rem aliquam, concurrat ad intrinsecam rei; ergo qui concurrat ad actum intrinsecè malum, concurrat ad malitiam. Deinde licet Deus esset tantum causa sine qua non: quia tamen esset causa cognoscens, & volens, aut saltem permitens, semper esset suspicio de malitia actui annexa; sicut v. g. admouens ignem domui vicinæ, si comburatur domus, erit in culpa talis admouens, etiam si tantummodò concurrat cum alio admouente, & tamen est solum causa sine qua non. Illius combustionis. Dices esse disparitatem ex eo, quod teneatur ille non admouere ignem, Deus autem non teneatur impedire illum defectum; sed infiso in alio exemplo; Si videam aliquem immittere incendium in segetes, si non impediam eum, cum possim, culpa mihi imputabitur, peccabo enim contra charitatem; ita in præsentī de Deo: nec recurras ad supremum dominium, quo Deus pollet, quod maius enim habet dominium, eò maiori pollet charitate; si enim nullum haberet dominium, non modò non teneretur, sed nequidem posset impedire, dicendo verò quod non concurrat cum causis secundis immittendo, relinquit eas in manibus sui concilij, dandòque hanc independentiam causis liberis in agendo non debet eas impedire, quin pro libito agant.

Nec responsio Soncinatis ad primum Aureoli satisfacit; nam posito quod actus sit de se malus, vt sunt actus contra præcepta primæ tabulæ, huiusmodi enim actus mali important priuationem non modò ex relatione ad agens, sed etiam ex sua natura, quare saltem quoad hos actus nulla erit solutio Soncinatis. Deinde quare potius referretur malitia ad causam secundam, quàm ad causam primam, quandoquidem vtraque influit in effectum, & causa prima secundum Thomistas magis influit, quàm secunda. Deinde ideò producit causa secunda deformitatem, quia producit entitatem, ergo quia causa prima producit entitatem, censetur producere deformitatem. Ex quo etiam colligitur inualiditas responsionis ad secundum, responsio verò ad tertium impugnata est satisfaciendo resp. Ariminensis ad quintum Aureoli, nullitas quoque resp. ad quartum patet ex dictis contra responsionem Argentinæ, & primæ responsionis ipsius Soncinatis.

Ex his omnibus patere existimo saltem probabiliter sustineri posse Deum non concurrere immediatè ad actiones causarum secundarum ordinis naturalis, argumenta enim secundo Clypeo allata, eorumque defensio, & confirmatio in resolutione posita euidenter ostendunt, & præsertim